



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmae Virtvtvm, Ac Vitiorvm , Tomus ...

Guilelmus <Peraldus>

Lvgdvni, 1585

De diuisione humilitatis. Cap. V.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46132](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46132)

eum vt maledicat mihi. & Act. 5. Et illi ibat gauderes a cōspectu cōcilij, quoniā digni habiti sunt pro nomine Iesu cōtumeliā patri: humilitas opprobriis pascitur vt cibo proprio. Thre. 4. Saturabitur opprobriis. Sicut se habet superbia ad gloriā, sic humilitas ad ignominiā. Vnde sicut superbia gaudet de gloria, sic humilitas de ignominiā. Humilitati ea sunt pretiosa quę alijs essent vilia. Ipsa enim spiritum abominationis & contemptus conuertit quasi in aurū & gemmas. Ipsa vilis vult videri alijs, sicut & sibi vilis videtur. Et quanto est sibi vilior, tanto est Deo pretiosior. Greg. in Mora. Tanto vnaquęq; anima fit pretiosior in cōspectu Dei, quanto pro amore Dei despectior fit ante oculos suos. Item Gre. Tāto fit quisq; vilior Deo, quāto pretiosior sibi. Et tāto pretiosior Deo, quāto propter eum vilior. ¶ Quartū est, si humilia officia libēter quis facit. De hoc exemplū habemus in Abigail. 1. Reg. 21. pro qua cū misisset Dauid vt eam duceret in vxorē, ipsa ait: Ecce famula tua sit in ancillā, vt lauet pedes seruatorum domini mei. In Vitis patrum, quidā senex perfectus virtutibus orauit dominum, Ostende mihi domine quid sit perfectio animę, & faciam. Et quum requireret consiliū a quodam alio senē: ille respondit ei de hoc per reuelationē: Vis facere quicquid dico tibi? Et ille, Volo. Et dixit: Vade, pasce porcos: & fecit sic. Et quū alijs viderent, q̄ pasceret porcos, dixerunt q̄ factus esset faruus. Et visa eius humilitate, reuocatus est ad locū suū. ¶ Quintum est, si cōsilio acquiescit: sicut hoc quod aliquis nō acquiescit cōsilio, signū est superbię. Greg. de non acquiescente cōsilio: Si se, inquit, meliorem nō crederet, nequaquam cunctorum consilia suę deliberationi postponeret. ¶ Sextum est, si cōtumeliā vel etiā correptionem māsuētē audit. Greg. Qui gloriā non querit, cōtumeliā nō sentit. Idē: Non timet confundi in cōspectu hominum qui solū gloriā querit apud Deum. ¶ Septimum est, si secretū diligit. Bern. loquēs de illo verbo. 2. ad Cor. 12. Parco autē &c. Quam pulchrē, inquit, dicit parco Non parit sibi arrogans, non superbus, nō cupidus vanę glorię, vel iactator actuum suorum, qui vel sibi arrogat, vel mētur de se quod nō est. Solus verē humilis parit animę suę, qui ne putetur quod nō est, semper quantū in se est vult nesciri quod est. ¶ Octauum est, si libēter obedit. Philip. 2. Exinanitio pręmittitur tanquam causa obedientię. Qui enim humilis non est, non libenter obedit.

De diuisione humilitatis.

C A P. V.

Consequenter ponēda sunt diuisiones ad humilitatem per-

nentes. Norandum ergo q̄ est humilitas ficta, & est humilitas
 vera. De ficta legitur Ecc. 19. Est qui nequiter se humiliat, & in-
 teriora eius plena sunt dolo. Vera humilitas, est humilitas cor-
 dis, de qua Matt. 11. Discite à me, quia mitis sum, & humilis cor-
 de. Non fictè, dicit Interli. Humilitatem cordis sequitur humi-
 litas exterior, sicut ramus prodit ex radice. 1. Petr. 5. Omnes in-
 uicem humilitatem insinuare. ¶ Item est humilitas sufficiens &
 abundans & superabundans. Quam diuisionem innuit glof. su-
 per illud Matt. 3. Sic decet nos implere omnem iustitiam, id est,
 humilitatē, dicit glo. & subditur: Perfecta humilitas habet tres
 gradus. ¶ Primus est, subdere se maiori, & se nō praeferre æqua-
 li, hic vocatur sufficiens, quia sufficit aliquē sic humiliari: & iste
 gradus omni iusto est necessarius. ¶ Secundus gradus est, subde-
 re se æquali, nec praeferre se minori, hic dicitur abundans. ¶ Ter-
 tius est, subesse minori, in quo est omnis iustitia. Hunc Christus
 impleuit. ¶ Item humilitas diuiditur in humilitate intellectus,
 quæ consistit in cognitione veritatis: & in humilitate affectus,
 quæ consistit in cōtemptu vanitatis. Sicut beatus Ber. superbiam
 diuidit in sex species: Superbia, inquit, in species duas diuiditur.
 In cæcam & vanam superbiam: quarū prior intelligentiæ, poste-
 rior voluntatis vitium est. Idem: Est humilitas quam in nobis
 veritas parit, & nō habet calorem: & est humilitas quā charitas
 format & inflamat: atq; hæc quidem in affectu, illa in cogni-
 tione consistit. ¶ Cōmuniter etiā quatuor gradus humilitatis di-
 stinguuntur. Quorū primus est, spernere mundū: siue mūdi glo-
 riam. Secundus spernere nullū. Tertius, spernere sese. Quartus,
 spernere se sperni. ¶ De x i i gradibus humilitatis quos Ber. di-
 stinguunt, require in tra. de Superbia. 3. parte, 35. cap. ¶ Notandum
 quod Bern. in lib. suo de x i i gradibus humilitatis, non expresse
 illos x i i. gradus humilitatis ponit, sed per oppositum eos insi-
 nuat. Bern. in prologo libri illius tituli inquit, qui de gradibus
 humilitatis inscribitur: Pro eo forsitan, q̄ non humilitatis gra-
 dus, sed superbiæ potius distingui describique videatur, calum-
 niā patieretur: sed hoc à minus vel intelligentibus vel attenden-
 tibus tituli rationem. Idem in libr. eodem: Idem sunt gradus
 ascendentium in solium & descendendum, & eadem via ascen-
 dentium in ciuitatem & recedentium, & idē ostium ingredien-
 tium domum & egredientium. Per vnā deniq; scalam ascenden-
 tes angeli & descendentes Iacob apparuerunt. In eodem. Propo-
 nat tibi beatus Benedictus gradus quos ipse prius in corde suo
 disposuit. Ego quid proponam tibi non habeo, nisi ordine de-

scensionis mee, in quo tamen si diligenter inspicitur, via forsitan ascensionis reperitur. Si enim tibi Romam tendenti, homo inde veniens obuiaret, quaerens viam, quid melius quam illam qua venis ostenderet? Denique castella, villas & vrbes. fluuios ac uotes per quos transierit nominat, suum denuntians iter, tuum tibi preannuntiat: illa ut eadem loca recognoscas eundo, quae ille pertransiit ueniendo.

¶ Hi sunt **xii.** gradus humilitatis secundum sanctum Benedictum. Primus est, si quis timorem Dei in memoria habeat, Dei precepta & poenas paratas eorum transgressoribus, & praemia parata observatoribus, & sic omni hora a peccatis se custodiat. ¶ Secundus est, si quis non amans propriam voluntatem, desideria sua non delectetur implere. ¶ Tertius est, si quis pro Dei amore omni obedientia maiori se subdat. ¶ Quartus est, si in ipsa obedientia contra aspectum patientiam amplectatur. ¶ Quintus est, si omnia mala sua abscondita abbati suo humiliter confiteatur. ¶ Sextus est, si ad omnia quae sibi iniunguntur, indignum se iudicet. ¶ Septimus est, si omnibus se inferioris & vilioris non solum lingua sua pronuntiet, sed etiam intimo credat cordis affectu. ¶ Octauus est, si nihil agat monachus, nisi quod communis monasterii regula probat, & maiorum exempla hortantur. ¶ Nonus est, si linguam suam cohibeat, & eam usque ad taciturnitatem teneat. ¶ Decimus est, si non sit facilis & pronus in risu. ¶ Undecimus est, si pauca uerba & rationalia habeat, & non loquatur clamorose. ¶ Duodecimus est, si non solum in corde humilitatem habeat, sed etiam corpore ostendat eam semper defixis in terram aspectibus.

De Paupertate.

PARS V.

Paupertas quandoque dicitur carentia diuitiarum. Et secundum hoc dicit Aug. Inuestiganti singularum rerum naturas, non inuenitur quid sit paupertas, nuditas & foramen. Sic paupertas, priuatio est. Priuationes uero causae sunt directae aliarum priuationum, & occasiones multorum bonorum. Multa uicia elogata sunt ab eis qui hanc paupertatem habent. Greg. Habet sancti hoc proprium: nam ut semper ab illicitis longe sint, a se plerumque licita abscindunt. ¶ Quandoque dicitur paupertas contemptus diuitiarum. Seneca: Nemo dignus Deo, qui opes non contempserit. Tertio dicitur paupertas amor paupertatis. Ber. in epistolis: Non paupertas uirtus reputatur, sed paupertatis amor. Denique beati pauperes non rebus, sed spiritu. Idem: Volo te esse amicum pauperum, magis autem imitorem. Idem: Amicitia pauperum regis amicos constituit, amor paupertatis reges. Item, Pauperiem aequo animo ferre, uirtus patientiae est: sponte appetere